Nitzsch, Gregor Wilhelm
De Eleusiniorum
ratione publica
commentatio

SOLLEMNIA NATALITIA

REGIS AUGUSTISSIMI ET SERENISSIMI

CHRISTIANI VIII

DIE XVIII MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLII
AB ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA RITE CELEBRANDA
RECTORIS ET SENATUS DE AUCTORITATE

INDICIT

GREGOR. GUIL. NITZSCHIUS

ANTIQUAR. LITERAR. ET ELOQUENTIAE P. P. O. REGIS A CONSILIIS STATUS ORDIN. DANEBROG. EQUES SOCIETATIS LITERAR. GOTTING. SOCIUS EPISTOLARIS.

INEST DE ELEUSINIORUM RATIONE PUBLICA COMMENTATIO.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1842

H. Dir. Krüger in [illegible]
in hochacht. Dank[illegible]
[illegible]

Si quis sedulo quaesierit, inclytus ille *Lobeckii Aglaophamus* quantum effecerit, quantum aliis reliquerit exsequendum, ut de mysteriis Graecorum ea scientia, quae potest, cum fide constet: is reperiet opus eruditissimum nihil propemodum reliqui fecisse, nisi quod a proposito exigendae memoriae alienum esset. Excussit vir summus testimonia de Eleusiniis, Orphicis, Samothraciis, omni denique secretioris cultus genere, quae arguendi aliquam vim habere viderentur, omnia. Ea autem testificatione, ut potissima referam, primum confutato errore, quo antea in mysteriis doctrina epoptis tradita putabatur, sacra arcana atque ipsa Eleusinia non secus atque cetera nihil habuisse docuit nisi caerimonias et spectacula. His deinde caerimoniis et spectaculis si non pauci etiam ex veteribus scriptoribus symbolicae institutiouis vim usumque subesse voluerant, velut Plutarchus; hos ab aetate geniali, quae deorum opiniones et caerimonias genuerit, longe distantes ex disciplina admodum novicia aut suopte periculo interpretari convicit. Nam interpretationem allegoricam sero natam, exeunte saeculo sexto, sive ad sustinendam poetarum auctoritatem, sive ut principia rerum a philosophis posita cum diis popularibus conciliarentur. Caerimoniis arcanis explicatus disertos a peragentibus sacerdotibus nunquam adjectos esse, intellectus tacitos spectantibus

mystis certe non ante esse subortos quam ipsis mythis adhiberi coepti essent; sed gliscente allegoria, tum sane fieri non potuisse, quin sacerdotes, nobili loco nati et eadem qua alii cives politiores disciplina imbuti, ipsi quoque intelligendi calliditatem induerent. Itaque eos percontantibus, si quem idoneum haberent, interpretationes tradidisse, verum extra actus sacros privatim; plures tamen suspiciones et pro cujusque ingenio ac doctrina varias ipsos mystas concepisse. Hinc illud esse, quod de argumento in mysteriis tradito alii alia prodant vel significent. Denique laudes Eleusiniorum magnificas non aliunde repetendas quam ex eo sensu, quo res divina, praesertim tam splendido ornatu elata, animos percutiat atque quasi numinis praesentia extollat. Haec igitur fere Lobeckius in primo, qui de Eleusiniis est, libro. Quae ut persequeretur, labor erat admodum multiplex, quo retractaret eorum licentiam, qui plurima miscuerant. Nam neque aetates quicquam discriminatas videbat sive rerum sive auctorum, et confusa quae diversissima essent mysteriorum genera. Neque solum rerum historia negligenter erat habita, sed ne interpretandi quidem levitas aberat. Nam quum norma logices tritissima vetet ex comparatione reciprocare praedicata, tamen multi saepe, quoniam scriptores passim philosophiae disciplinam et profectus cum initiatione et epoptia compararunt, conclusione prava philosophiae naturam ac modos rursum mysteriis intulerant. Quid? quod usus vocabulorum, quibus sacra sollemnia appellantur vel distinguuntur, a neminedum exactus fuit.

Eleusiniorum librum plenissimum doctrinae exactae excipit uberior etiam alter, qui Orphica et quicquid Orphei nomen attinet cum omnibus theologiae atque disciplinae Orphicae reliquiis

complectitur. Si universam, quae de theologia mystica est, quaestionem spectamus, nunc demum constituuntur genera mysteriorum p. 270 sq. quae sunt 1) mysteria urbana s. arcana urbium; quorum ex genere Eleusinia esse jam supra significatum nunc luculentius demonstratur, caussa silentii et occlusi sacri religione ex ea superstitione repetita, qua singulae civitates suorum sibi deorum tutelam cultu secretiore, vel etiam sacerdotibus solis permisso, oppignerandam putarunt. 2) Altera species complectitur Magnae Matris Bacchique sacra fanatica. 3) Ad tertiam classem referuntur, si quae pro singulis fiebant, deorum Manium averruncorumque placamina, ceteraque sacrificia lustralia et resolutoria cum inferorum numinum religione conjuncta. Secunda et tertia species quum ad Orpheum referantur auctorem, illa quae Hesiodeis reliquiis antiquior est aetas et fanaticorum et averruncorum sacrorum, quae Orphei nomine censentur, ignara et immunis fuisse per longas inductionis et testificationis ambages probatur. Origines autem utriusque generis et progressus ex ipsis animi inquieti curis et sollicitudinibus explicantur, quales in Homericis carminibus nusquam, in Hesiodeis jam crebro animadvertuntur. Haec disputatio, pertinens a p. 312 usque ad 317, egregiam quandam lucem per totam quaestionem fundit. Accederet tamen necesse erat disquisitio accuratior de aetate Orphei vel Orphicorum; ea jam sequitur uberrima, atque ita pertractatur, ut mysticam aetatem, insignem illam Epimenidis, Thaletae, Onomacriti et aliorum Orphicorum nominibus, pertinere videamus fere ab Ol. 40 usque ad Ol. 65. Haec peperit carmina, quae Orphei quasi vetusti nomen mentiebantur; (quae nunc feruntur, multo sunt etiam recentiora.) Deinde inest locus a p. 625 usque ad 670, qui primum

deos a Graecis peregrinos saepe ascitos esse docet, deinde sacrorum fanaticorum et lustralium usum et abusum illustrat et doctrina et exemplis. Omnia autem sic exacta et confecta sunt, ut in posterum nemo religionum Graecarum historiam enarrare considerate possit, quin ad Lobeckii se auctoritatem componat.

Postrema disputatio, quae in *Samothraciorum* memoriam inquirit, prope tota consumitur neque potuit non consumi in rei impeditae et inexplicabilis condicione demonstranda. Cabirorum sacra fuisse perhibentur, sed hi qui fuerint plane fluctuat memoria; ac sunt illi cum aliis numinibus aut satellitibus deorum multum confusi. Exponit igitur Lobeckius singillatim de Curetibus, Corybantibus, Dactylis Idaeis, Telchinibus, Cobalis et Cercopibus, Cabiris. Quae commentatio praeter plurima corruptae memoriae convicia et confusarum religionum exempla tantum fere praebet exploratae scientiae: p. 1218. „Scriptores attici de Cabiris nihil, quod magnopere juvet, nobis offerunt, sed deorum Samothraciorum mysteria ad tutandam vitam initiatorum efficacissima esse consentiunt.“ p. 1246. „Antiquissimi scriptores Cabirorum genus a diis minutis, Vulcano et Proteo, repetunt, sedes terrestres designant, Samothracen, Lemnum, Imbrum, argumento certissimo eos neque Cererem Liberamque, neque Rheam aut Hecaten, neque ullos alios deorum caeligenarum huic nomini subjecisse. — Quare statuendum est sacra Samothracia a principio non Cabiris instituta fuisse, sed diis, quorum illi paredri crederentur, abolescente autem antiquitatis memoria ab his nomen translatum ad numina principalia errore facili, quoniam eorum vis et notio vix ab initio clare cognita post autem temporis diuturnitate magis magisque obscurata est. Unde natae sunt multiplices doctorum conjecturae,

quae adversis inter se frontibus concurrunt.“ p. 1285. „Samothraciis non plus tribuit quam disciplinae sacerdotalis scientiam, quae sacrificiorum ritibus continebatur et castimoniis. Neque non veri simile est, in his rebus et in traditione nominum, quibus deos Samothracios invocare oporteret, et in praedicanda eorum potestate doctrinae mysticae summam positam fuisse.“

Semper parum de Lobeckiani operis praestantia et fructu dixeris, si breviter. Verum, si argumentum ejus ita est comparatum, ut non solum ad antiquitatis sed ad omnem humanitatis historiam vel maxime pertineat, est sane, quod praetermissum a Lobeckio requiras, ut doctrina sanior in communem eruditorum usum vere cedat. Neque ii, qui post Lobeckium de Eleusiniis ex composito exposuerunt, *O. Muellerus, Prellerus* et *Stuhrius*, quanquam Prellerus maxime multum profecit, omnia quae requirimus perfecerunt. Duo priores enim quum Eleusiniorum titulum Encyclopaediis * inserendum componerent, instituti operis cancellis circumscripti non egerunt, quod maxime refert, ut mysteriorum ratio et usus qui fuit omnis ad universam religionum cognitionem et intelligentiam referretur; Stuhrius autem etiam nunc ducitur eo errore, qui semper plurimum obstitit, ne sive mythologia recte enarraretur sive mysteria ex vero et intelligenter tractarentur. Quod mirum visu dictuque,

* Muellerus Encyclop. disciplinarum et artium Halensi, Prellerus ei, quam curat Aug. Pauly rerum ad disciplinam antiquitatis classicae pertinentium. Prellerus autem multum rem auxit etiam edito de Cerere et Proserpina libro singulari.

usque parum intelligebatur aut reputabatur, religio s. naturarum superiorum cogitatio et cultus quid sit, unde religio omnino orta quid agat. Non animadvertebant ne philosophi quidem, anticipationem et agnitionem deorum ipsam ortam esse primum ex indigentia ac desiderio providentiae, quum homines vires et naturas, quibus se obnoxios sentirent et subjectos, admirarentur et merendae earum gratiae studium induerent et ritus comminiscerentur. Neque enim dii nihil agentes ad Epicuri placita unquam ab ulla gente informati sunt. Providentiae autem desiderium in Graecorum animis maxime vigebat, qui deos suis rebus praesentes interesse et opitulari prae aliis populis volebant. Quae si fuit caussa, cur deos agiles quasi homines fingerent, tamen ipsa desiderii illius ratio et reverentia deorum omnis, quoniam naturam postulat suapte se voluntate regentem (personam, ut nunc loquimur), eam vim habuit, ut dii informarentur hominum similes; vulgi enim opinio naturam sui juris et decreti (personam) non intelligit aliam nisi humanae similem. — Hac igitur deorum religionumque indole parum animadversa mythologi multi saepe ita disseruerunt, quasi non mens animi desiderio instincta sed mera contemplatio naturae et comentatio, quae philosophemata gignit, rem Graecorum divinam procudisset; eodemque errore infecti statim Hesiodo crediderunt, ante Jovem Olympiorumque familiam antiquiora deorum genera duo culta esse.

Hic igitur error sive neglectus latissime patens, et gliscens etiam nunc, ut plane convinceretur, disputatione opus fuit altius repetita, quam unde Lobeckius opus exorditur. Deinde incredibile quidem quam promtum sit cognoscere, mysteria et maxime Eleusinia inter religiones fuisse, quibus Graeci deorum patriorum et popularium

gratiam expeterent, animosque spe ac fiducia efferrent et firmarent; id enim intelliges, si vel tritissimos scriptores in cognitionem religionum intentus legeris; verum attinebat tamen, illam Eleusiniorum atque ceterorum sacrorum similitudinem luculentius, et committendis quae in censum veniunt singulis explicatius illustrare, ut, quum colentium frequentia, cura magistratuum, leges quibus aditus circumscriptus erat, sacerdotum denique ad ceteros cives ratio comparata fuissent, ultro intelligeretur, Eleusinia non alia re insignia fuisse nisi sanctimonia et spectaculorum, quibus argumentum mythicum repraesentabatur, magnificentia et effectu; nam ἡ κρύψις ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν Strabone quidem judice X. 357. σεμνοποιεῖ τὸ θεῖον. Haec si persequutus esset Lobeckius, confutatione opinionum levissimarum supersedere potuisset, lectoribus integris et rectis melius consuluisset. Pertractata autem in hunc modum condicione Eleusiniorum publica et externa, interna eorum ratio complectenda fuit tribus fere locis. Primum, quoniam chthoniorum deorum cultum habuerunt, de chthoniorum et Olympiorum deorum et natura diversa et discrepantibus caerimoniis uberius exponendum fuit; deinde opertorum et apertorum sacrorum discrimina et operiendi religiones variae, quae passim in omni sacrorum genere valuerunt, pluribus explicanda; denique argumentorum mythicorum ratio habenda, quae caerimoniis subfuerunt. Chthoniorum deorum naturam egregie illustravit Prellerus; idem Eleusiniorum mythum ita descripsit, ut facile suspiceris, qui epoptae ex eorum spectaculis in spem immortalitatis erigi potuerint. De Orphicis Lobeckii nihil addam, nisi de veterum religionum historia egregie meriturum, si quis theosophiae Orphicae quam exigua fuerit

vis in communes Graecorum opiniones et religiones diligentius persequatur. De Samothraciis facta et confecta omnia censeo.

Ex iis quae ad augendum fructum operis praestantissimi adjicienda aut percolenda esse censui, nunc mihi delegi locum qui est

de Eleusiniorum condicione publica.

Duo fuerunt ex omni Graecia sacra, quae colentium animos altissimo praesentis numinis sensu percuterent maximeque implerent illa reverentia, quae ex horrore et fiducia mirifice temperatur, Olympia et Eleusinia; illa praecipue propter Jovis summi simulacrum, Eleusinia propter adyti intimi spectacula. Sic enim refert Pausanias V, 10, 1. *πολλὰ μὲν δὴ καὶ ἄλλα ἴδοι τις ἂν ἐν Ἕλλησι, τὰ δὲ καὶ ἀκοῦσαι θαύματος ἄξια· μάλιστα δὲ τοῖς Ἐλευσῖνι δρωμένοις καὶ ἀγῶνι τῷ ἐν Ὀλυμπίᾳ μέτεστιν ἐκ θεοῦ φροντίδος.* Ac de Olympiis quidem vel adspectu simulacri testantes prae ceteris audimus Epictetum Arrhiani et Dionem Chrysotomum, quorum ille Dissert. 1, 6, 23. Graeco homini miserum videri ait, si vita excedat ante quam simulacrum illud conspexerit, hic Or. XII, 400. beatissimos spectantium affectus his verbis effert: *ἀνθρώπων δὲ ὃς ἂν ᾖ παντελῶς ἐπίπονος τὴν ψυχήν, πολλὰς ἀπαντλήσας συμφορὰς καὶ λύπας ἐν τῷ βίῳ, μηδὲ ὕπνον ἡδὺν ἐπιβαλλόμενος, καὶ ὃς δοκεῖ μοι κατεναντίον στὰς τῆσδε τῆς εἰκόνος ἐκλαθέσθαι πάντων, ὅσα ἀνθρωπίνῳ βίῳ δεινὰ καὶ χαλεπὰ οἴεται* (l. *κεῖται*) *παθεῖν.* Eleusinii reclusi speciem multi praedicant apud Lobeckium ut Ari-

stides Eleusin. init. Quodsi Galenus de usu part. L. XVII, 1. Eleusinia et Samothracia mysteria in eundem excellentiae gradum tollit, ὅσοι τιμῶσι θεὺς, ὐδὲν ὅμοιον ἔχυσιν Ἐλευσινίοις τε καὶ Σαμοθρακίοις ὀργίοις, Aristides Samothraciis secundum ab Eleusiniis locum assignat, et Pausanius X, 31 extr. Eleusiniis sanctimoniam vindicat cetera sacra ad unum omnia adeo superantem, ut antiquiores Graecos his tanto plus tribuisse dicat quam aliis institutis, quae ad pietatem pertinerent, quanto deos reverentius habuerint quam heroes.

Illuminatur his testimoniis Eleusiniorum sanctitas eo modo, ut profecto nemo possit aliam his vim tribuere, quam qualis omnino religionibus ac caerimoniis suppetit. Quod vero Pausanias tantam iis praestantiam jam apud antiquiores constitisse perhibet, id de ipsis Atheniensibus certe satis praestamus. Isocr. de biga 3. 605. Lag. civitati persuasum esse ait, in deos nihil posse atrocius committi quam si quis mysteria violet. Neque est, quod miremur, Eleusinia vel Panathenaeis atque ipsius urbicae deae sacris augustiora esse habita. Nam etiam Graecorum animis augustiores accesserunt caussae religionum praeter civiles illas, quae deam urbis tutelarem colere adigebant; ad implendos horrore sacro animos plus minusve faciebat quum argumentum mythicum tum omnis apparatus sollemnitatis, ac plus fere animos commovebant chthoniorum quam Olympiorum deorum sacra; denique sic profiteri licet, quae fuerit caussa silentii sacri, eandem Eleusinia augustiora reddidisse quam Panathenaea, quam caussam alias illustrare conabor. De cura publica utriusque sollemnitatis illud nunc verbo annotamus, archontem regem s. regem sacrorum Eleusinia ita curasse, ut ejus cura ad Panathenaea

aut nihil aut minus certe pertinuerit (Lysias in Andoc. § 4. Arist. ap. Harp. s. ἐπιμελητής et Poll. On. VIII. c. 9 § 90.); deinde ex lege Solonis postridie mysteriorum in Eleusinio altero, quod in ipsa urbe fuit, sedisse senatum, qui in eos animadverteret, si quis mysteriorum religionem violasset, (Andoc. de myster. 55, 10. R.) quale judicium Panathenaeorum sanctimoniae tam praesens nullum invigilabat. Idem illud Eleusinium, a quo mystae lustratione peracta pompam illam Jacchi incedebant, a Thucydide II, 17 cum acropoli in templis refertur, quae inaccessa manserint aut occlusa, dum multa alia per belli Peloponnesiaci necessitatem confluentibus in urbem paganis domicilia praebent.

Ad sacra quamvis sancte habita Athenienses mature etiam alios Graecos admiserunt. Atque oppressa Graeciae et Athenarum libertate ne barbarorum quidem interdictum valuisse multi testantur; nisi etiam Tragicus Ciceronis N. D. 1, 42. „ubi initiantur gentes orarum ultimae," certe Aristides, qui Eleus. init. Eleusina κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος non secus appellat atque Livius oraculum Delphicum generis esse humani praedicat. Pari modo Dio Chrysostomus loco de spectaculis mysticis luculentissimo XII, 387. simul refert: ὥσπερ εἴτις ἄνδρα Ἕλληνα ἢ βάρβαρον μυεῖσθαι παραδοὺς rel. Adeo igitur abolescente Graecorum et barbarorum discrimine mysteriorum copia omnibus facta est; relinquebatur una cautio, ut praeconis voce impii et scelerati initiatione submoverentur (Suet. Ner. 34); quae quum nulla non aetate ad distinguendos dignos et indignos potissima sit, rursus mysteriorum et ceterorum sacrorum naturam communem declarat; nam caede pollutum ab omnibus sacris opinio communis adeo ex-

cludebat, ut vel qui servum proprium impune necaverit, ultro sacris se abstinere dicatur ap. Antiph. de choreuta § 4.

Dum Graecis et libertas et mos animusque patrius constabat, eadem lege, qua hellanodicae ad Olympia non admiserunt nisi qui natione ac lingua Graecus esset, etiam hierophantae Athenarum barbaros ab Eleusiniis arcebant. Praeterea quicquam cautum esse, nisi ad tempora remotiora recedas, nulla usquam est auctoritas; imo Herodotus, dudum allatus a Lobeckio, VIII, 65. et Atheniensium et ceterorum Graecorum τὸν βȣλόμενον μυεῖσθαι narrat. Ac de peregrinis quam Lobeckius superaddidit Lysiae auctoritatem disertiorem in Andoc. p. 198 (cfr. Andoc. de myst. 17), eam nunc insigniter augere licet. Nam testatur Isocrates Panegyr. 6. 59. Lng. liberaliter et humane cives suos non fruges solum sed etiam mysteria cum omnibus Graecis communicasse. Ac videmus Eleusinia plane eodem loco habita esse, quo alias panegyres s. conventus sacros. Cereris Eleusiniae cultus primum ad alia Graeciae oppida propagatus erat, quae ad metropolin cultus theorias s. legationes sacras mittebant (cavente ne intermitterent etiam Pythio deo, Isocr. c. 7); deinde ex universa Graecia singuli ad celebranda Eleusinia Attica commeabant non secus atque ad alia aliarum civitatium sacra. Quod ut iis facere etiam belli temporibus, ipsisque Atheniensibus sive domi sive peregre versantibus sollemnitatem agere liceret, missis caduceatoribus (σπονδοφόροις) induciae erant renunciandae aut postulandae, quales Aeschines fals. leg. p. 302, 1. 305, 25. commemorat σπονδὰς μυστηριώτιδας, ab unis repudiatas Phocensibus. Earum exemplum Boeckhius nuper exhibuit in Corp. Inscr. I. tit. 71. p. 108 et 890. Aetatem titulo editor definit circa Ol. 83, 3, pactas-

que putat inducias cum Lacedaemoniis ante foedus tricennale. Constat quotannis ab Eleis Olympiacas σπονδὰς renunciatas esse, easque per Graeciam publice valuisse (Thuc. V, 49 et 50), minus observatas reliquorum qui communes erant ludorum ἱερομηνίας; v. Krausium Olympiae p. 40 et 41. Quare quod Athenienses Eleusiniis pacatum tempus postulant, eo auctoritas sacri major et usus latissime patens declaratur. Quanquam etiam Eleusinias inducias impetratu fuisse difficiles, praesertim si hostes terram jam occupassent, documento sunt eadem belli Peloponnesiaci tempora. Diu enim Athenienses pompam Eleusin deducere non potuerant nisi κατὰ θάλασσαν, donec Alcibiades armato agmine eam terra deduxit (Plut. Alc. 34. Xen. Hell. 1, 4, 20). Quapropter nescio an Aristides magnificentius quam verius glorietur, unis Eleusiniorum induciis nomen constitisse integrum I, 452. Cant. 420 Dind. Verum nos nunc illud tenemus, quod induciarum testimoniis et re et verbo inest, multas per Graeciam urbes Eleusinio sacro publice privatimque usas esse; nam tituli verba τὰς δὲ σπονδὰς εἶναι ἐν τῇσι πόλεσι, οἳ ἂν χρῶνται τῷ ἱερῷ, plane congruunt cum Thucydidis V, 50. ἐπειδὴ προθυμοῦνται χρῆσθαι τῷ ἱερῷ, quae sunt de Lacedaemoniis ad Olympia commeantibus. Porro autem, quemadmodum alias saepe videmus civitates amicitiae firmandae caussa ad concelebranda sacra inter se invitasse (Thuc. V, 23 et 41 extr.), ita Athenienses ap. Polyb. XXVIII, 16, 4. theorias (cfr. id. XXXI, 31) ad Antiochum mittunt μίαν ὑπὲρ τῶν Παναθηναίων —, τὴν δ' ἄλλην περὶ μυστηρίων.

Nunc igitur denique abunde intelligimus voces scriptorum sive de celebritate Athenarum, quae mysteriorum tempore fuerit, sive de amplitudine extrema ipsius adyti Eleusinii; Lobeck. p. 20.

Philostr. V. Apoll. 1, 18. περὶ μυστηρίων ὥρας, ὅτε Ἀθηναῖοι πολυανθρωπότατοι. Aristid. Panathen. I. 333. s. 311. μόνοι δὲ τῶν Ἑλλήνων καθ' ἕκαστον ἔτος ποιεῖτε πανήγυριν ὀδεμίας πεντετηρίδος φαυλοτέραν καὶ δέχεσθε τῷ Ελευσινίῳ πλείους ἢ ἕτεροι τῇ πάσῃ πόλει. Id. Eleusin. 453 s. 421. μόνην γὰρ ταύτην πανηγύρεων εἰς οἶκος συλλαβὼν εἶχε, καὶ ταυτὸν ἦν τῆς πόλεως πλήρωμα καὶ τοῦ Ἐλευσινίου. Strabo IX, 605 A. s. 238. Ἐλευσὶν πόλις, ἐν ᾗ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν τῆς Ἐλευσινίας· καὶ ὁ μυστικὸς σηκός, ὃν κατεσκεύασεν Ἰκτῖνος ὄχλον θεάτρου δέξασθαι δυνάμενον. Succreverat igitur mystarum numerus in eam frequentiam jam Periclis aetate, qui Ictino ejusque sociis opus locavit (v. Plut. Pericl. 13), reparandum post Persica tempora (Herod. IX, 65). Quanquam magnum etiam priore aetate numerum fuisse, existimare recte videmur ex pompa Jacchi ap. Herod. VIII, 65. quae videbatur tricies mille esse hominum. Exigebat autem hoc silentii sacri norma, ut universa multitudo templi operti spatio reciperetur. Neque omnes mystae non ejusdem erant juris; at ornamenta interna templi silentio illo non minus occultabantur quam ipsi actus mystici (Paus. 1, 38).

Quando coeperint Athenienses peregrinos ad sacra arcana admittere, nullo testimonio compertum ne de conjectura quidem finire licet. Fuisse tempus, quum non initiarentur nisi cives, quum communis ratio sacrorum cuique civitati patriorum persuadet, tum auctores habemus non prorsus spernendos. Nam etsi exigua auctoritas eorum, qui Herculem initiatum ferunt per adoptionem, quum lex esset μὴ μυεῖν ξένους, Apollodori 11, 5, 12. Istri fr. 20, aliorum; hisque fidem derogare propter rationem quaesitae sanctimoniae (ut ad inferos descenderet tutior) satis proclive est; certe proverbium Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια ejusque usus, ὅταν καθ' ἑαυτοὺς συλλεγέντες τινὲς

πράττωσί τι, (Duris ap. Zenob. 11, 26) rem dubiam satis confirmat. Atque etiam postquam cuivis peregrino sua impertire jam pridem coeperunt, civibus majori religioni aut crimini fuisse laedere arcana quam peregrinis, testis est Lysias, quum (p. 214) Andocidem, quem pro Alcibiade incusat, Diagora Melio sceleratiorem esse censet ideo, quia hic verbo tenus peregrina sacra laeserit, ille re et facto patriae urbis sacra; contemtui autem Diagoras quoque habuerat Eleusinia (Lob. p. 1285. Bergk. Commentt. de reliq. comoed. p. 173 quem Schoellius *Beiträge z. Kennt. d. trag. Poes. p.* 89 calidius impugnat.)

Ipso civitatis jure opus non fuisse, ut quis initiaretur, nisi res ipsa arguit, Lobeckii argumentatio abunde confirmavit; (19 et 282 ima) neque enim tantae undecunque confluentium multitudini Athenienses civitatem impertiverunt, neque in ulla quae de civitatis jure vel usu est quaestione aut probatione commemoratum legimus, civitatis usum ab aliquo mysteriorum communione existimatum esse. Rursus autem illa severitas ac religio, quae cavebat, ne quis scelere pollutus sacris interesset, etiam civilem honestatem et integritatem exigebat. Nam cives, qui aliquam juris deminutionem contraxerant, ἄτιμοι etiam levioris notae, sicut ab aliis sacris publicis, ita ab ingressu Eleusinii arcebantur (Andoc. de myst. 17, 10), multoque magis ii, qui sodalitiis implicati contra rempublicam conjuraverant (Aesch. c. Tim. 45. Meier de bon. damn. 103 et 134). Pari modo feminae meretrices ab aditu sacrorum publicorum prohibebantur, qui servabus et peregrinis patebat (c. Neaer. 1273 sq.); ut singulari impudentia Demetrius quidam meretricem ad adyti Eleusinii fores collocasse tradatur (Athen. IV, 167 F.). Denique sacris, quibus deorum favorem publice expetebant, cives interesse volebant a juris

labe integros, animo et corpore castos. Quodsi usum sacrorum ne peregrinis quidem invidebant, tamen administrare sacra munere sacerdotali neque peregrino neque civi ascititio fas erat, sed proprium eorum, qui cives nati essent (c. Neaer. **1376, 17. 1380, 26**). Ac sacerdotia et munera Eleusiniorum fere omnia certarum gentium propria erant; sed sacerdotia aliorum deorum, velut Herculis, in civitatis integerrimae documentum afferuntur Dem. in Eubul. **1313, 21. 1318, 16.**

Facultate sacra adeundi ita temperata, officia tamen quaedam civium in peregrinos et hospites hoc in genere versata esse videmus, quae Prellerus Encyclopaed. s. v. Eleus. p. **101** rectius interpretatur quam Lobeckius p. **28**. Nam quod Lysias, Andocides, alii, fratrem, amicam peregrinam, hospites *μυῆσαι*, iisque *μυσταγωγοὶ* exstitisse dicuntur, eo profecto non potest ipsa initiandi opera dici, quae utique sacerdotum fuit qui in templis et fanis caerimonias curabant; at sponsore opus erat cive Attico, neque peregrinus admittebatur, nisi si a cive introduceretur. Is ei comes ac socius et ad primam consecrationem (*μυεῖν*) et ad epoptiam, hoc quoque officio hospitem in arctiorem necessitudinem ascivit. Neque igitur recte Lobeckius p. **29**. ipsum initiandi munus ea mystagogia complectitur, quae inter vulgaria hospitalitatis officia numeratur a scriptore epistol. VII. Platon. **333**. quanquam allatis hujus verbis errorem priorum, mysteria paucissimis impertientium, sanequam vehementer concidit; sunt autem haec: *οὐκ ἐκ φιλοσοφίας γεγονότε φίλω, ἀλλ' ἐκ τῆς περιτρεχούσης* (pervulgatae) *ἑταιρείας ταύτης τῆς τῶν πλείστων φίλων, ἣν ἐκ τοῦ ξενίζειν τε καὶ μυεῖν καὶ ἐποπτεύειν πραγματεύονται.*

3

Quoniam civium et peregrinorum discrimen in usurpandis mysteriis satis expositum videtur, jam videre refert, cives quo studio et modo sacra amplexi sint, quae ipsos certe potissimum attinebant. Adiisse eos τελετὴν τὴν πασῶν τιμιωτάτην (Aristot. Rh. II, 24, 2) frequentissimos, imo plerosque omnes, in universum quidem omnis illa disputatio, quae de ejus sanctitate celebritateque fuit, satis persuadet; neque enim adytum „immani magnitudine" (Vitruv.) majorem peregrinorum quam civium (qui potius illos quoque introduxerunt) numerum habuerit; neque consentaneum est, dum publice sanctitatis observantia summa est, ex privatis admodum multos Eleusinia contempsisse; etiam σπονδαὶ illae μυστηριώτιδες primum Atheniensium caussa renunciabantur, praecipue eorum, qui peregre abessent, deinde aliorum exterorum (v. titul. ap. Boeckh.). At enim nos nunc exploratius quid requirimus; nunc enim, postquam Eleusinia Lobeckii virtute ex illo latibulo, in quo ad doctrinam scilicet arcanam admissi videbantur paucissimi, in publici cultus lucem, celebritatem, omnem denique similitudinem, nisi quod caerimoniarum sanctimonia superant, perducta sunt, nunc contra miramur, si aliqui tamen cives reperiuntur, qui augustissima aeque ac felicissima sacra amplexi non sint, cupimusque, quoniam certe exstat discrimen initiatorum et profanorum, cognoscere accuratius, qui et quales mysteria non obiisse perhibeantur. Videamus igitur num vere conjiciamus, profanos non alia ratione distingui ab initiatis nisi pietatis, eadem autem opera et ipsas opiniones animorumque caussas illustrabimus, quibus adducti singuli cives mysteria gravius leviusque habuerint, et mores modosque ea usurpandi cognoscere conabimur.

Aetates discernere, quamvis velimus, non possumus, neque enim testimonia sufficiunt, neque nunc universarum aetatium decursum persequimur, ut attineat commonuisse Athenarum civitatem quum Alcibiadem propter mysteria profanata exsecraretur re se ipsam esse exsecratam, ut quae tum maxime publice privatimque ab antiqua pietate descivisset. Magis etiam excusatum erit, si iis testimoniis usi fuerimus, quae non de Eleusiniis solis sed de universo sunt genere. Vocabula μυεῖν et τελεῖν, μυστήριον et τελετὴ curae et caerimoniae, quae diis tribuuntur, ubique idem genus declarant, neque hac ratione Eleusinia ullo loco a ceteris mysteriis disjunguntur; utrumque substantivum τὰ δρώμενά τε καὶ λεγόμενα sacro sub silentio declarat, quae μηδεμίαν quidem ἀπόδειξιν τοῦ λόγου καὶ πίστιν, sed quum argumentum mythicum referrent ἐμφάσεις καὶ διαφάσεις, quas spectantes intelligere sibi videbantur, habebant (Plut. de def. or. 14 et 22 extr.)

Mysteria igitur inter religiones referri, quibus dii vulgo colantur, ex locis satis crebris duo insigniores admoneant; Plutarch. adv. Colot. 22. increpat Epicureos, qui sublatis deorum cognominibus non possint non simul θυσίας, μυστήρια, πομπὰς, ἑορτὰς tollere; id. stoic. repugn. 6. Zenonis aemulos notat, quod quamvis de magistri sententia pantheïsmum probantes templa diis fieri nolint, tamen rem divinam cum vulgo in templis faciant et simulacra manu facta adorent: μυοῦνται μὲν ἐν ἱεροῖς, ἀναβαίνουσι δ' εἰς ἀκρόπολιν, προσκυνοῦσι δὲ τὰ ἕδη, καὶ στεφανοῦσι τοὺς ναούς. Sequitur, ut quomodo capessiverint sacra cives Athenienses, circumspiciamus. Si fides fuerit, pueros initiatos esse, puerili statim aetate multos saepe civium liberos a parentibus similiter ad mysteria introductos esse sumemus atque ad alia sacra (Isaeus de haered. Astyphil. 243 et 248). Lobeckius de

pueris nihil quod huc faciat (p. 1290); Boeckh. C. J. I. nescio qua de auctoritate breviter: pueros solitos esse initiari notum est; equidem duo video esse testimonia. Pausanias X, 31, 4. s. 11. in Polygnoti pictura Orci quattuor figuras hominum damnatorum conspexit, qui ei videbantur esse τῶν τὰ δρώμενα Ἐλευσῖνι ἐν οὐδενὶ θεμένων λόγῳ; fuerunt autem senex, puer, mulier vetula, et femina junior. Pausaniae igitur certe notum fuit, ad Eleusinia omnem et sexum et aetatem admitti, ut etiam pueris fraudi esset non esse initiatos. Dio Chrys. XXXI. 615. apud Athenienses statuam esse mystae pueri commemorat (Ἐλευσινίου μύστου παιδός), nomine nullo insignitam, quam illi Herculis esse interpretarentur. His confirmatus testimoniis prope adducor, ut etiam Platonem leg. X. 887 D. non domestica tantum et gentilicia sacra significare credam, quibus certe αἱ ὄψεις αἱ τοῖς μύθοις ἑπόμεναι parum conveniunt, sed etiam mysteria. Verum acquiescamus in manifestioribus, ex quibus non temere colligimus patrum plus minusve filios filiasque adolescentiae propiores hierophantae initiandos tradidisse (πατρὸς μυσταγωγοῦντος Himer. XXIII, 8.) quemadmodum fratrem tradidit Andocides de myster. 64, 19. Ac stetisse hoc per ipsos, ut liberi publicis sacris imbuerentur, non per sacerdotes, ultro intelligitur. Qui autem pueri puellaeque obscuro nomine vocantur μυηθέντες ἀφ' ἑστίας, de quibus Lex. ap. Bekk. An. 204. ὁ ἐκ τῶν προκρίτων Ἀθηναίων κλήρῳ λαχὼν παῖς δημοσίᾳ μυηθείς, eos equidem arbitror adjecto ἀφ' Ἑστίας tanquam mystas describi ab ipsa civitate, cujus salutem curamque ἡ ἑστία in acropoli alta refert, praebitos et constitutos. Constituit autem civitas eos ex civibus nobilissimis, fortasse ex Eumolpidarum reliquisque gentibus sacer-

dotalibus sortitione lectos *, et quidem unum semper puerum, unamque puellam, quorum deinde simulacra saepe aut a parentibus dedicata videmus C. Inscr. I. tit. **393**. **406**. **443**. **445**. **448**. aut si orbi essent publice **444**. Officium pueri sacrum Porphyr. de abst. IV, 5. perhibet: *Ὅπερ γὰρ ἐν τοῖς μυστηρίοις ὁ ἀφ᾽ ἑστίας λεγόμενος παῖς ἀντὶ πάντων τῶν μυουμένων ἀπομειλίσσεται τὸ θεῖον, ἀκριβῶς δρῶν τὰ προστεταγμένα* —. De puellae munere nihil proditum est, tantum constat, ejus quoque in Eleusiniis fuisse partes. Cfr. Boeckh. ad tit. **393**. Haec de initiatione juventutis. Porro, ut aliquo modo existimemus, quibus animorum studiis cives vulgo Eleusinia aut amplexi esse aut neglexisse videantur, caussas animorum enucleatius explicemus.

Fingere possumus, si res ita ferret, difficultatem aliquam vel molestiam rituum, qui initiandis subeundi essent, obstitisse, quominus haec sacra omnes capesserent; sed obstitit nulla, nisi lustrationes et castimoniam minorum mysteriorum et horrores in introitu adyti objectos absterrendi vim habuisse putes. Loquitur de his horroribus Plutarchus tribus locis sed omnibus per similitudinem, ut verear ne initiatorum affectus ex simili aliquid traxerint non proprium; uno enim, initiatorum qui sit per caliginem et tremores ad laetissimam lucem transitus, is imagini est condicioni morientium, qui per naturae dubiae ac conflictantis discrimina ad laetissimam bonorum conversationem pervadant (fr. de anima XIV. **270** Hutt.); duobus alteris profectus ad scientiam et virtu-

* Isaeus ap. Harpocr. s. v. *ἀφ᾽ Ἑστίας μυεῖσθαι* scripsit fortasse: *ὁ ἀφ᾽ Ἑστ. μυούμενος Ἀθηναῖος ἦν πάντως, καὶ ὅρῳ δὲ λαχὼν ἐμυεῖτο*, sub certa lege s. circumscripto ex numero gentilium sorte lectus. Nam quod Boeckh. conjecit, plane alienum. In Platonis Phaedr. 260 E. similiter pro *φησὶν ὁ Λάκων* scribendum esse *ὁ λαχὼν (τὴν δίκην)*, quum ipsa res docet tum dudum docui pluribus.

tem cum mysteriorum aditu comparatur (prof. ad. virt. VII. 258. de audit. ib. 152.) διὸ δεῖ πάσχειν μέν τι καὶ δάκνεσθαι, μὴ συντρίβεσθαι δὲ — τὸν ἐλεγχόμενον, ἀλλ' ὥσπερ ἐν τελετῇ κατηργμένης αὐτοῦ φιλοσοφίας, τοὺς πρώτους καθαρμοὺς καὶ θορύβους ἀνασχόμενον, ἐλπίζειν τι γλυκὺ καὶ λαμπρὸν —. Accedit, quod, si ad non initiatos de his rebus aliquid opinionis manabat, ad eosdem laetitiae deinceps insequentis laus manaret necesse erat. Atque idem Plutarchus non secus atque alii (Max. Tyr. 111. extr.) hilaritatis commendatione, quae fere omnibus suppetit sollemnibus Graecorum, mysteria quoque ornat vel maxime: de tranqu. an. 20. οὐδεὶς γὰρ ὀδύρεται μυούμενος, οὐδὲ θρηνεῖ Πύθια θεώμενος. de superstit. 8. ἥδιστα δὲ τοῖς ἀνθρώποις ἑορταὶ — καὶ μυήσεις καὶ ὀργιασμοὶ —. Quae hilaritas non deficere videbatur nisi plane pravos. ἡ δὲ τῶν πολλῶν καὶ ἀμαθῶν, οὐ πάνυ μοχθηρῶν, διάθεσις πρὸς τὸν θεὸν ἔχει μὲν — μεμιγμένον τινὰ σφυγμὸν καὶ φόβον —, μυριάκις δὲ μεῖζόν ἐστι καὶ πλέον αὐτῇ τὸ εὔελπι καὶ περιχαρές. Non posse suav. XIV. 120. Haec, opinor, satis persuadent, mysteria ita fuisse comparata, ut etiam naturales hominum sensus allicerent magis quam absterrerent. Sed introspiciendum est, quantum possumus, in sensus mystarum interiores, videndumque, quam vim opinio pervulgata mysteriis tribuerit ad temperandam eam rationem, quae cuique homini cum divino numine intercedit. Ad eam videlicet cura et caerimonia superiori naturae tributa pertinet omnis, idque ipsum sentit sensitque olim quicunque sentiens rem divinam fecit. Quoniam igitur οἱ τελούμενοι quoque in Eleusiniis ἔπασχόν τι καὶ διετίθεντο, οὐκ ἐμάνθανον, ut Aristotelis verba usurpem, hoc quale fuerit, audiamus. In universum illa deorum et hominum ratio justitiae potius fuit quam gratiae, sed sicuti indigentia gratiae semper pungebat animos, eam caerimoniis

conciliari neglectumque cultum externum irae vindictaeque divinae caussam habere vulgo creditum est. Itaque non modo scelerati vulgo θεοῖς ἐχθροὶ audiebant, sed pietas multum censebatur religionum atque caerimoniarum cultu, contemptor autem deorum is praecipue habebatur, qui non initiatus mysteria negligeret. Quodsi justitia divina et viventium moribus invigilare credebatur et mortuis praemia aut supplicia dispensare, ad deorum favorem in utraque vita obtinendum mysteria multis posse plurimum videbantur. Quid? quod, nisi nostra quae nunc est testandi condicio fallit, prope ex omnibus omnium sacrorum caerimoniis una Eleusiniorum δεικνύμενά τε καὶ λεγόμενα sola spectantibus immortalitatis et vitae ultra mortem beatae spem ostendebant (quanquam v. Plut. consol. ad ux. 10.); id quod multorum vocibus testatum factum esse suspicamur mythi Cerealis imitatione atque commentatione quadam; hic enim mythus, quum ex quo filiam reperisset Ceres semen terra conditum dein in laetas fruges germinare monstraret, ex occasu ortum, ex morte vitam portendebat etiam hominibus (Lob. 72). Beatissimam hanc spem dum integerrimus quisque epoptarum non sine verae pietatis studio alit, existimatio sacrorum ultra mortem salutarium in eam ut fit corrupta est opinionem, quasi spes illa piorum ipso mysteriorum cultu constaret. Usurparunt autem ejusmodi pollicitationes et minas impudentius etiam Orphicorum et lustralium mysteriorum dispensatores, quorum acceptam ac nocentem in vulgus auctoritatem sermones Glauconis et Adimanti demonstrant ap. Plat. de rep. II. 352 C. 362 C. 364 B et E 366 A. Obstat haec inter promissa Eleusiniorum et Orphicorum sacerdotum similitudo interdum nonnihil, quominus exempla initiatorum aut dicta scriptorum suis quodque mysteriis distribuamus; (cfr. Lob. 806—10)

certo tamen discrimine Samothracia dignoscimus, quorum cultores spe ad subeundam mortem laetiore nunquam, sed ope divina contra mortem muniti ἐκ δεινῶν σώζεσθαι καὶ ἐκ χειμώνων putabantur, schol. ad Aristoph. Pac. 277. Sed percenseamus testimonia.

Numen justitiae vindex infestum sceleratis impiisque et promptum maxime esse credebatur, quum pelago se commisissent; quare siquis vel perjurio vel alio piaculo diis invisus navem una conscenderat, is navigium cum vectoribus omnibus perditurus videbatur (Maetzn. ad Antiph. 239). Eandem autem noxam religiosissimus quisque sibi a non initiato h. e. impio itineris socio metuebat. Refert enim Theophrastus 25, 1. illud inter mores formidolosi hominis, talem, ut primum in aestum mare cesserit, socios percontari, ecquis eorum initiatus non sit; quibus verbis non tam ipsam pietatis existimationem quam illud formidolosi proprium dicere videtur, quod ex fluctuatione continuo irae divinae suspicionem colligit, ejusque circumspicit caussam. Simul autem percontatio illa probabiliter ficta docet, plerosque omnes pro initiatis esse habitos, quos inter non consecratus fuerit unus et alter. Manifestiora aliquanto testimonia suppetunt de suppliciis, quae profanos tanquam impios post vitam manere vulgo putabantur, informata illa quidem ad exemplum Danaidum (Plat. Gorg. 493 B). Polygnotus in nobilissimo Orci simulacro duas feminas posuit aquam in dolium cassum gestantes, quas epigramma adjectum non initiatas appellavit. Neque temere Pausanias X, 31, 3 s. 8. et 4. s. 11. neque illas ab ipsis Eleusiniis alienas interpretari neque alteros quattuor propter habitus et poenae similitudinem eodem loco habere censendus est (Jahn, Kiel. Stud. 116. 118). Etiam Polygnotus (Cimonis aequalis), etsi non

potuit non vulgi opinionem sequi, ipse fortasse pietatem rectius interpretabatur. Et interpretati sunt certe non solum Pindarus, Sophocles, Isocrates, Cicero cum Attico suo, et si qui praeterea initiatorum spes aeternas celebrant (Lob. 69—74), verum etiam ipse beatorum in Orco chorus apud Aristophanem comicum Ran. 454 sqq. ὅσοι μεμυήμεθ', εὐσεβῆ τε διήγομεν τρόπον περί τε ξένους καὶ τοὺς ἰδιώτας, cfr. 318 et 158. Hi mysteriorum augustissimorum cultum vel taciti cum vera justorum deorum reverentia conjunctum intellexerunt. Atque omnino Eleusinia non expiare sceleratos, quos potius arcebant, sed praemiis destinare pios videbantur. Sic enim narrat schol. Aristoph. ad 1 postr. „quum percrebuisset apud Athenienses opinio, qui mysteria coluisset, eum post mortem divino praemio mactari, magno omnes studio ad μύησιν properasse.“ Quae ad Eleusinia spectare apertum est propter Jacchum; adde testantem Plut. Amator. XIII, 39. Quodsi Eleusiniorum quoque epoptas spes inducere ignava poterat (et multum nocuisse etiam Sophoclis laudes Plut. de aud. poet. p. 80 sq. statuit), omnis tamen eorum cultus et usus maximo ea discrimine ab „impia indulgentiarum nundinatione“ (Lob. 810) sejunxit, quam Orpheotelestae (Pl. de rep. II, 364 B.) promptis in dies lustrationum expiationumque officiis exercebant (Theophr. 16, 3. Lob. 644); neque dubium est quin Trygaeus ap. Aristoph. Pac. 375. horum opera sibi opus esse dicat, pauperculus autem ille Ar. Plut. 845. vestem afferat, qua indutus diu ante Eleusiniis initiatus est.

Complexi sumus primum ea, quae maximam probabilitatem afferrent cives Athenarum plerosque Eleusiniorum epoptas fuisse, deinde pietatis sive rectae sive pravae caussas quae ad ea invitarint enarravimus quasi privatas, denique commemoravimus quosdam sanctis-

simarum caerimoniarum tanquam praecones, quos laudes ipsae et nota aliunde deorum popularium reverentia initiatorum in numero ponunt, praeter Thebanum Pindarum ex civibus Sophoclem et Isocratem. Res igitur ab omni parte perducta eo est, ut ne possimus quidem quin profanorum inter cives numerum exiguum fuisse opinione praecipiamus, quamvis duplici utamur cautione, primum, ut animadvertamus non solum hospites sed etiam cives quosdam externa tantummodo hilaritate et commoditate sollemnitatis usos esse, ut Plutarchus refert Symp. II, 2, 1. Ἐν Ἐλευσῖνι μετὰ τὰ μυστήρια τῆς πανηγύρεως ἀκμαζούσης, deinde, ut et aetates et civium ordines discernamus; nam Alcibiadis aetas vel posterioribus, cives doctiores et sophistis obnoxii religiosa multitudine mysteria multo habuerunt levius, non secus atque religiones omnes.

Posterior cautio satis intercedet, ne quum Andocides a Lysia p. 252. vel Alcibiades insimulantur sacra ἐπιδεῖξαι τοῖς ἀμυήτοις, propter horum sodales et convivas non initiatos citius narremus magnum Atheniensium numerum ab Eleusiniis alienum fuisse. De eodem crimine indicium fecit θεράπων (minister libero patre natus) ἀμύητος, quaestionem autem instituerunt cives non ante quam prytanes non initiatos ex eorum numero summoverant (Andoc. de myst. 6 et 14). Summovendos fuisse numero multos neque necessarium neque probabile ad credendum. Plura exempla, ubi inter medios cives deprehendamus profanos numero plures, non exstant; in sermonibus autem quod usitatum fuisse videtur auditores initiatos a profanis distinguere (Pl. Theaet. 155 E), ea consuetudo recte repetetur ex celebritate Athenarum, ubi in omnibus circulis aliqui facile fuerunt peregrini nondum consecrati. Accedamus paullatim ad singulos, qui in censum veniunt. Plutarchus sua

aetate vel stoicos pantheistas Athenis eodem quo vulgus modo mysteria adire vidit, nequaquam illos discendi aut scrutandi sed religionum caussa (v. supra). Antisthenes Atheniensis, Cynicorum princeps, quoniam etiam Orphicis se praebuit initiandum, modo notans eorum promissa (Diog. VI, 4), idem ne Eleusinia quidem neglexerit. Hujus aemulus Diogenes, Sinopensis sed multum Athenis versatus, rejectis Eleusiniorum praedicamentis a Sophocle elatis negavit levissimum quemque propter mysteria post mortem meliore sorte usurum quam Epaminondam vel Agesilaum (Lob. 19), neque ipse initiari voluit. Intelligimus ex horum exemplis quid cordatissimo cuique et sanissimo offensioni fuerit; sed potuerunt Eleusinia ideo non minus caste pieque a bonis obiri. Et Demonax Luciani § 11. Atheniensibus ei mysteriorum neglectum exprobrantibus eam potius rationem excusavit, quod impetrare non posset a se ut alios celaret mysteria, si noxia essent, quin averteret, sin salutaria, quin communicaret. Haec Lucianus narrat ab his exorsus verbis: *καί τινες ἐπ' αὐτὸν συνέστησαν Ἄνυτοι καὶ Μέλιτοι, τὰ αὐτὰ κατηγοροῦντες ἅπερ κἀκεῖνοι τότε, ὅτι οὔτε θύων ὤφθη πώποτε, οὔτε ἐμυήθη μόνος ἁπάντων ταῖς Ἐλευσινίαις.* Quae verba quantum de Socrate referant, dissident inter se viri doctissimi. Lobeck. p. 21. unum impietatis crimen Socrati et Demonacti commune dici putat, C. Fr. Hermannus Hist. philos. Plat. p. 623. cum Fritzschio Qu. Aristoph. p. 150. plane atque aperte illud tradi censet, Socratem ex omnium numero unum initiatum non fuisse. Equidem tantum videre videor, Lucianum ita demum tradere, Socrati a Melito Eleusiniorum neglectum esse objectum, si exacte loquutus sit, eidem tamen admodum pronum fuisse, in illa quidem comparationis implicatione, commune utrique impie-

tatis crimen in eas partes describere, quarum prior utrique, altera Demonacti soli, ambae insequuturae orationi accommodatae essent. Potuit vero idem ipsam formulam accusationis, *ἀδικεῖ Σ. ὃς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων*, quasi necessario ita interpretari, ut Melitum si non verbo certe sententia de Eleusiniis potissimum criminatum esse putaret, quae nisi comprehendisset, prope irrita fuisset accusatio. Eminuerunt autem Eleusinia Luciani temporibus plus etiam quam Socratis. Denique de Luciani testimonio nequaquam liquet, aut, si quid liquet, nihil certe tradit ille nisi Melitum ita criminatum esse. Proponitur igitur primum hoc alterum, de ipsa criminatione num vere Luc. tradiderit. Ex antiquioribus, quotquot sunt de caussa Socratis auctores, nemo ne verbulum quidem de Eleusiniis. Postremo si sumas et accusatorem et judices Eleusinia mente comprehendisse, quaeritur tertio loco, num vere criminati sint. In Apolog. Xenoph. Socrates se *ἐν ταῖς κοιναῖς ἑορταῖς καὶ ἐπὶ τῶν δημοσίων βωμῶν* defendit sacra fecisse verbis explicatioribus quam quibus Xen. in commentar. prooemio utitur. Ergo haud cum fide explorata ne ita quidem aliquis rem composuerit, ut omnia quae Xen. magistro vindicat stare posse dicat, etiamsi Socrates, quum omnino ad publica sollemnia tum ad Eleusinia infrequens, secum magis ac seorsum rem divinam fecisse putetur. — Vix praeterea quenquam sublegere possumus, qui Eleusinia non attigisse feratur. Si nulla non aetate aliquos mysteria plerisque commendatissima non coluisse conjicimus, illud sane tenebimus, ne publica quidem sacra pariter a cunctis civibus culta esse, in tanta praesertim etiam annuorum sollemnium multitudine, sed aliorum in alios deos praecipuum fuisse studium (Isae. p. 206); rationes autem mysteria adeundi quae

peculiares fuerint, eas superstitiosos ad Orphica potius invitare potuisse. — Ne quid dissimulasse videar, de Aeschylo breviter profitendum est, qui, quum mysticum quid in scena profanasse videretur, excusavit ignorationem (Arist. Eth. Nic. III, 2. Lob. 77). Hunc igitur, quum mysteriorum quoque actus et apparatus multa haberent non arcana, unum quidpiam potius pro arcano non habuisse quam omnino profanum fuisse putabimus. Quod si sumimus recte, non potest videri illud subesse, eum Dianam Cereris filiam dixisse.

Adjecturus eram de sacerdotibus Eleusiniis, quorum institutio, scientia, vita denique omnis si a ceterorum civium nihil differret, ipsi quoque documento forent, uti sunt, mysteria nisi sanctitate ac silentio ab aliis sacris diversa non fuisse; sed hic libellus narrationem uberiorem non capit.

Q. B. F. F. F. Q. S.

Ad audiendam orationem sollemnem, eamque germanicam, quae in gratulationis publicae communionem d. XVIII. m. Septembris h. XII. in auditorio majore ab *Aemilio Herrmanno* J. U. P. P. O. habebitur, Celsissimum Ducem, Curatorem Illustrissimum, regios et urbicos Magistratus Amplissimos, cives academiae humanissimos, omnium denique ordinum incolas et accolas hujus urbis ea qua decet observantia invitamus.